Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31284
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

posse inimice. ascenderunt. archa cum moyse et levitis remanente in castris. Percutiensque eos amalechites et chananeus persequens usque ad locum qui ob hoc vocatus est horma id est anathema. et redierunt ad solitudinem.

De lapidacione colligentis ligna in die sabbati

Factum est autem cum esset in solitudine. invenerunt hominem colligentem ligna in sabbato quem reclusit moyses donec consuleret dominum. de quo dixit dominus. Moriatur homo iste. extra castra lapidibus obruatur et factum est ita. Quidam putant hunc fuisse salphaad. quia et filie eius postea dixerunt. Pater noster in deserto pro peccato suo mortuus est. Ibidem etiam precepit eis dominus ut per quatuor angulos palliorum fimbrias poneret iacinctinas. ob recordacionem etiam minimorum preceptorum domini ad observandum. Has magnificaverunt pharisei in tantum ut etiam spinas in eis ligarent. ut frequenti earum punctione ad memoriam iugem preceptorum domini excitarentur. Quadratis tunc iudei utebantur palliis et adhuc in angulis vestis quadrate in sinagogis suis habent fimbrias iacinctinas. ob recordacionem legis de celo date. tunc autem faciebant ut a ceteris gentibus etiam habitu discernerentur.

De scismate chore. datan et Abiron et plaga eorum

Ecce autem chore filius ysuar fratris amram. cum vidisset fratrueles suos honoratos. Alterum sacerdocio. alterum ducatu populi invidit. et murmurans contra moysen et Aaron. complures secum habuit ducentos quinquaginta de levitis maioribus quos etiam dignos sacerdocio preferebat. adiunxerat sibi dathan et Abiron potiores rubenitarum quibus principatum populi deberi dicebat quia fuerunt de ruben primogenito. Quibus Moyses ait. tollat quisque vestrum turribulum suum et tras hausto igne supponat thimiamata. et Aaron vobiscum. et quem elegit dominus ipse sit sanctus. Misit ergo moyses mane. ut vocaret Dathan et Abiron qui dixerunt non venimus. Et convocata omni multitudine dixit moyses ad chore et ducentos quinquaginta. Tollite turribula vestra et ponite thimiamata super ea et state coram domino. Illis autem stantibus descendit moyses cum senioribus populi ad datham et Abiron ut eos vocaret. Datham et abiron ut dicit iosephus ex parte levita erat. Illi autem stabant cum uxoribus et liberis. et omni frequencia domus sue in introitu papilionum suorum. parati potius ad resistendum si vim inferre vellet moyses. quam ad obediendum. Quod videns moyses oravit moyses dominum. ut insolita morte perirent. et sic planum fieret quod dominus ipsum misisset. Quo orante et flente tremuit terra. et expavit populus. grandique strepitu per illorum tabernacula excitato scissa est terra sub pedibus eorum et apiens os suum devoravit eos cum omni substancia eorum. et descenderunt vivi in infernum id est in patulum terre hiatum. et reducta est terra quasi nichil horum factum esse videretur. Sed et ignis egressus est de thuribulis chore et aliis eius. tantus quantus nec de terra platus vel coruscacione fluctuum aut violencia spirituum visus est umquam exilire. et devoravit eos. Aaron illeso stante. tulitque eleasar turribula eorum ex precepto domini. igne huc illucque dispersoo. et produxit eas in laminas formas ex eis coronulas. affixit eas altari eneo commonendum filios israel ne quis nisi de semine Aaron accederet ad offerendum incensum domino ne similia pateretur. Tamen et sic fabre facte erant quod ibi stabant ad decorem

De execucione populi extincta per Aaron

At tamen sequenti die murmuravit omnis multitudo contra moysen et Aaron dicens. Vos interfecistis populum domini. Cumque vellent eos obruere lapidibus fugerunt ad tabernaculum et operuit eos nubes. apparuitque